

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MEDICA,
DE

REFRIGERANTI -
UM MODO OPE-
RANDI MECHANICO
ET USU MEDICO,

QVAM
DEO PRÆSIDE
AC CONSENSU
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN PERANTIQVA GERANA,
PRO

LICENTIA,

SUMMOS in MEDICINA HONORES
cum PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

nitè impetrandi,
Plaçidæ Philiatrorum Disquisitioni
exponit

AUTOR & DEFENDENS
GVILIELMUS KERGERUS,

Lignic. Silesius,

In Aula Collegij Majoris,

Horis consuetis,

Die 26. Januarij, Anno M DCCII.

ERFORDIAE,

Ære GROSCHIANO, Acad. Typogr.



PR



ione solet. Eadem sane
herunt, ut postquam
nos operam dedi
Medicina solitos, et
nugos ut rite impe
rante necesse
nra à me postularu
tua publicam pran
upterea eligere M
frigidam, de Refrig
ō mechanico & usu
nilem fore tractatio

ETIADIEBIS HABE
TUS COMITI
DIDICIMUS
DEO PRAEVIDE
AC COPIAM
HABEREMUS TUDICIA MEDICIN
INSTRUMENTA DIVERSIA
ANTIOPIS
EXCEPIT
CIVITATIS
DOCTORIS
PRAEFATI
EXQUISITUS
ARTOR & DERNENS
CATHARINUS MURGERUS
LUDV. ZWILLIG
IN AENE C. LILIUS TRIBONIUS
HOMS CONGREG
TUS DE JUNIUS BAPTISTUS
M. DE GROCHINUS
ERTUOR
DE GROCHINUS ARAB. Abovius



PRÆFATIO.

IEges consuetudinis obsequium, quoddam mereri, proverbium est à multis retro annis approbatum, cuius veritatem continuata experientia novis quotidie argumentis probatiorem nobis redere solet. Eadem sane consuetudinis Jura nunc quoque fecerunt, ut postquam Studio Artis Iatricæ per aliquot annos operam dedi, peterem solito more Honorcs in Medicina solitos, Agnatorum desideriis satisfactus, quos ut rite impetrarem, Leges Academiae hujus per antiquæ necessarium quoque obsequij Specimen à me postularunt, volentes, ut Promotioni publicæ publicam præmitterem Disputationem: placuit propterea eligere Materiam, frigido anni tempore, frigidam, de Refrigerantium scilicet modo operandi mechanico & usu, quam necessariam pariter ac utiliem fore tractationem credidi, cum medicamen-

et diversissimæ Naturæ, variis datis Circumstan-
 tiis, potissimum ratione diversorum subjectorum,
 diversam quidem perficiant operationem, eundem
 tamen finem, scilicet Refrigerationem, exhibeant.
 Cumque Neotericorum plurimi observaverint, vix
 dari methodum, expertas observationes rationibus
 explicandi, minus fallacem, quam simplicem me-
 chanicam, (quod in Physica non minus quam ejus fi-
 lia Medicina, Operationes quoque plurimorum Me-
 dicamentorum expertas Rationi conformes redden-
 do explicatione mechanicâ, felicissimis pasim
 Conatibus demonstraverunt,) Et ego constitui eâ-
 dem uti Methodo, quantumque per tenues Ingenij
 vires licebit, Materiam banc de refrigerantibus
 reddere, magis ordinate tractando, clariorem, veni-
 am facilem sperans, si quædam adhuc dubia Lecto-
 ribus occurrant; de rebus enim dubijs optima dispu-
 tandi datur occasio, vel si quædam videantur mu-
 tanda; non enim mirandum, me, qui Homo sum, er-
 rare posse, qui Studiosus Medicinæ sum, Correctio-
 nem admittere, quam vel antiquissimi Et exerci-
 tissimi Medici patientur; nec difficultorem veni-
 am impetraturus sum, si quædam videantur omissa,
 cum sufficientibus horis destitutus laboraverim
 potius ea, quæ debebant, annotare, quam quæ pot-
 erant,

REFRIG.



mi, et posterius à p
 quibusdam à prima
 vero post varias Ma
 eidem adesse dicatur
 neque sequatur, qu

Vocabulo reli
 tem Refrigerationis
 Corpus in se esse frig
 adelle Materiæ cuius
 specie ipsius Materi
 tem eā, quæ in no
 concreta substantijs

erant addi , nec ipsa chartæ angustia taliusmodi
Dissertationibus destinata prolixiores ferat line-
as. Moveat ergo summus Motor meum quoque,
Animum, ne frigide quiescat , sed calido labore
Tractationem hanc volvens debite perficiat.

CAPUT I. DE REFRIGERATIONIS MODO.

TH. I.



E Refrigeratione scripturum nulla-
Necessitas urgere videtur, prolixum
de Nomine facere paragraphum ,
quod satis notum nullam obscurita-
tis difficultatem relinquit, sufficiat i-
gitur potius annotare , quomodo
differat à Frigore , jure scilicet ordi-
nis , ut posterius à priori , cum Frigus sit accidens rebus
quibusdam à prima Creatione inhærens , Refrigeratio
vero, post varias Materiæ mutationes & alterationes, mox
eidem adesse dicatur, mox absit, Calore succedente , Calo-
remque sequatur, quo prius fuisse Frigus probabile est.

TH. II.

Vocabulo relicto Rem aggredior ipsam , Definitio-
nem Refrigerationis traditurus; præsuppono igitur, nullum
Corpus in se esse frigidum, sed potius saltem dici , Frigus
adesse Materiæ cuidam , vèl eandem refrigerari , non re-
spectu ipsius Materiæ, sed nostri Corporis, dispositione sal-
tem eā , quæ in nobis Sensum frigidi producere potest ,
concessâ substantijs varijs, extra nos positis , adeoque ex-
istimans,

istimans, Frigus merum esse Modum percipiendi, Sensum nostrorum beneficio, Qualitatem Corporis cujusdam, relativè ad nostrum Corpus dictam Frigus, cuius definitio nem præmittere placet, antequam de ipsa Refrigeratione differam, cum Frigoris Definitione tradita, facile sit propo nere, quid sit Refigeratio.

TH. III.

Asserti hujus veritatem, quod scilicet Frigus sit Qualitas sensibilis producta à corporibus mixtis, quorum atomi graviores & crassæ, vel prorsus non, vel parum mo ventur à subtilissimis æthereis, ut probem, ratione pariter ac Experientia testibus utar. Notum nimirum est, quod quo graviores magisque compactæ sunt Materiæ, adeoque subtiliorum particularum facilius mobilium ingressum impediunt, eò frigidiores esse, quales sunt Lapidès, metallæ, aliaque, quò vero sunt leviores & porosiōres, coquæ facilius admittunt ætheris mobilissimi influxum, eò minus sentiri, easdem esse frigidas, quales sunt Lignum, plumæ, aliaque. Porro cum Oppositorum eadem sit ratio, & à plurimis Recentiorum Philosophorum asseratur, Calorem esse motum rapidissimum & confusum particularum facile mobilium, quales sunt potissimum sulphureæ dictæ, sequitur ex opposito, Frigorismodum consistere in Quietè particularum graviorum, terrearum præcipue; vide mus etiam, quò major particularum subtilissimarum copia, Sole nobis propinquiore, adest, eò majorem fieri motum, maxime in vegetabilibus omnibusque humidis, quem dum in corpore sentimus, vel Sole particulas hasce subtilissimas communicante, vel nobis ipsis, currendo laborante humores nostri Corporis subtiliores magisque mobiles reddendo, Calorem præsentem dicimus, ubi vero, Sole remo-

Præmissis his d
proponenda sequitur
Qualitas sensibilis, à
noscere Quietem
nem producentes di
exponere conabor,

remotiore ; pauciores ætheris particulae ad nos pertin-
gunt, vel nos ipsi, assumptis multis terreis cibis, potuque
viscidiori, impedimus motum internum , sensus Frigoris
mox sequitur.

TH. IV.

Novi equidem existimari à Nonnullis, Frigus esse Sub-
stantiam quandam singularem, quod tamen propterea vix
admittendum , quia nec Entia præter Necessitatem sunt
multiplicanda , nec ullibi per se subsistens Frigus depre-
henditur, sed potius mox adsit, mox absit, salvâ manente
aliâ, aliâ quodammodo immutatâ Materia. Imo Chymi-
corum Experientia probat, confusis quibusdam Liquori-
bus , quorum alter poros alterius benè implens, adeoque
solidum è fluido faciens corpus, motu cessante, quietem
introducit , sensibilem hanc Qualitatem, Frigus, produci,
tanquam accidens à confusione Liquorum productum, &
quis nescit, Arte fieri posse Frigus intensius, ubi Nivi addi-
tur Sal commune vel Nitrum , quæ utraque, nomen sub-
stantiae non mereri Frigus, demonstratum faciunt. Dantur,
qui Spiritum esse dixerunt Frigus, quomodo vero hoc no-
men mereatur, cum objectum sit sensus materialis , non
video , nec clarius exinde conceptus de Frigore sperari
potest, cum Spirituum Natura nobis sit obscurissima, adeo-
que obscurum per magis obscurum declarandum foret.

TH. V.

Præmissis his de Frigore , Refrigerationis Definitio
proponenda sequitur , quæ est Restitutio Frigoris , sive
Qualitas sensibilis, à Corporum motorum in majorem mi-
noremve Quietem Restitutione orta; Causas Refrigeratio-
nen producentes diversissimas sequenti Capite prolixius
exponere conabor.

TH. VI;

Refrigerationis vero Doctrinam pertinere ad Artem Medicam, plurima evincunt, ubi enim Physiologus de sensu agit frigidis, Pathologus Causas morborum exhibendo, ijsdem quoque varios Refrigerationis nimia modos annumerat, in Semiotica Signa morborum à Sensatione Frigoris desumuntur, inque Diætatica de Rebus non naturalibus, aëre frigido & alijs huc pertinentibus disseritur, tandemque Therapevtice proponit medicamina refrigerantia, licet à quibusdam, ab acido & viscido omnes humani Corporis morbos deducentibus, male rejecta, satis utique patet, hanc Tractationem ad Medicinam omnino spectare. Mihi vero saltem Animus est, præsenti Dissertatione ejusdem, præcipue in Practica hujus Artis Parte, applicationem Inquisitioni ulteriori subjicere.

Antequam tamen illud fiat, Modum præmittendum esse necessarium videtur, qnomodo ab Homine percipiatur Refrigeratio, varia nimirum ratione; vel dum externus Aër per poros Cuticulæ ingrediens, particulas mobilissimas pauciores possidens, prævalentibus humidis, terreis, alijsque crassioribus, premendo extremas cutis papillas nerveas, motumque fluidi nervi, sic impediendo, minorem reddit, unde Sensatio illa oritur, quam Frigus appellamus, vel dum per pulmones tempore frigido aér taliusmodi crassus intrans idem producit, vel reliquis ubi Rebus nonnaturalibus quis male fuerit usus, eoque crassior sit reddita Massa totius Sangvinis, adeoque partibus ejusdem fibrosis abundantibus præ globulosis, ipse Sangvis minus movetur, paucioresque leparantur particulae subtilissimæ, fluidum Nervorum seu Spiritus constituentes,

qui

qui minus labiles generi
Frigoris lenum deferunt
extremum impedimentum
inhibetur à Medicamentis
præ nostri humorum
impedire vel imminueri
potest tractare propulsi.

REFRIGERAN

Remissio
brevibus
di modis
sam sati
frigerantia Ohnmach
taria ex Antiquiorib
mittendo Ægris suis f
Recentioribus plu
Sangvinis nimium m
refrigerantibus exhibi

Operantur vero
rum nostrorum redi
mo, partes Corporis
tum humandum ne
posit, vel saltem co
te absolvere, quod
rum fibras ambiente
aëris tubulis fibrarum

qui minus subtile generati minusque mobiles , eundem Frigoris sensum deferunt Animæ, quem producebat antea externum impedimentum. Vel tandem Effectus ille sensibilis oritur à Medicamentis assumtis, quæ singulorum Corporis nostri humorum Motum circularem vel intestinum impedire vel imminuere possunt, de quibus sequenti Capite tractare proposui.

CAPUT II.

DE

REFRIGERANTIUM MODO OPERANDI.

TH. I.

Præmissis quibusdam de ipsa Refrigeratione brevibus periodis, de Refrigerantium operandi modo tractatio sequatur, quam licet odiosam satis facere voluerit Gehema, dicens Refrigerantia Ohnmachterveckende Mord-Mittel, sufficiet tantum ex Anterioribus Galenus eadem approbans, permettendo Ægris suis febre laborantibus frigidam, sufficient è Recentioribus plurimi clarissimorum Medicorum, qui Sangvinis nimium motum caloremque, multis in morbis, Refrigerantibus exhibitis imminuendum esse docent.

TH. II.

Operantur vero omnia Refrigerantia, Motum humorum nostrorum reddendo quietiorem, varijs modis. Primo, partes Corporis nostri solidas ita disponendo, ut contentum humidum non libere earundem poros permeare possit, vel saltem cogatur, Motum circularem magis lentè absolvare, quod fit, quando e. g. Aër minimas pororum fibras ambientes ingrediens & condensatus, efficit, ut aër tubulis fibrarum minutissimis inclusus condensetur

B

pariter,

pariter, ut nempe æquilibrium exterioris interiorisque fiat Aëris, quo facto, contractis scilicet magis hisce tubulis poros constituentibus, ipsi pori redundunt angustiores, & humores per vias hoc modo angustiores factas difficilis moventur.

TH. III.

Secundo, si ad Massam Sangvineam deferantur, eidemque admisceantur Corpuscula varia terrea, vel ratione propriæ gravitatis, motum reliquarum particularum. Sangvinis magis mobilium tardiorem facientia, vel figuræ angulosæ, quadratæ, sexangularis, &c. ratione, (quam servant minutissimæ atomi quorundam Concretorum, quæque in crystallisationibus Salium maxime fit conspicua,) dum admiscentur globulosis Sangvinis particulis, per Microscopia observatis, angulosa talia Corpuscula, quâ admixtione impediuntur ipsæ globulosæ, quo minus promte moveri queant, unde intestinus pariter & circularis totius Massæ Motus necessario fit tardior minusque vehemens.

TH. IV.

Tertio, si Particulæ Sangvinis Volatiles & Sulphureæ figantur ab acidis, quæ magis terrea sunt graviaque, quorum Connubium prorsus earundem texturam mutat, quod experimento illo probatur, quo olea destillata ætherea seu sulphura subtilissima, affuso Spiritu nitri aliove acido graviore, prorsus aliam recipient formam, dum nimirum hæc olea, quæ anteà fluebant facillimè, tunc quiescentia in resinas coagulantur, ne ætheris quidem sufficiētem influxum pro effluvijs ipsorum elevandis admittentia, sed odore & sapore tantum non omni orbatæ fiunt.

TH. V.

Quarto, si subtilissimum sal volatile Sangvinis à copiosis

103
particulis aquæs nim
quidem spicula tenuia i
natum poslit reddere
repositum in vijs
ad amido quodam mu
giam Lympham reddit
niliens quasi, eorum
minus ab ijsdem senti
tis.

Mobilissimi tan
nutum Refrigeratio
cujus cauſam vel ip
postea glandulis ce
nec sufficienti motu
mas atomos redactan
re luci nervosi insti
rum canales delatum
quod, quo minus me
lips massæ sangvin
fudi Nervei motus
tarcticis, quæ quo
mis effluvijs suis pen
alius prorsus naturæ
motum prorsus aliu
inchoando, priore
pedunt & sufflamin
tur totius sangvinis
in quietiorem statum
tionem experiri nec
tarcticorum usus, q

osis particulis aqueis nimis vel diluatur vel eluatur , vel si ejusdem spicula tenuia involvantur , (ne fibras vellicando motum possit reddere celeriorem totius Massæ Sangvineæ , potissimum in vijs subtilissimis maximèque sensatis) ab humido quodam mucilaginoso vel gummoso , quod & ipsam Lympham reddit viscidorem , & fibrillas sensatas investiens quasi , eorumque poros obstruens impedit , quo minus ab ijsdem sentiantur stimuli pungentes Salis volatilis.

TH. VI.

Mobilissimi tandem Nervorum fluidi motum immutum Refrigerationem producere , facile concedetur ; cuius causam vel ipse constituit Sangvis minus mobilis , qui postea glandulis cerebri materiam parum subtilisatam , nec sufficienti motu in subtilissimas adque motum aptissimas atomos redactam , afferens , pro secrézione spirituum sive succi nervosi instituenda , recipit deinde per nervorum canales delatum illud fluidum minus elaboratum , quod , quo minus movetur ipsum , eo minori pressione reliquæ massæ sangvineæ motum adjuvare potest , vel cuius fluidi Nervei motus impeditur à medicamentis assumtis narcoticis , quæ quoniam maxime sunt vaporosa , copiosissimis effluvijs suis penetrantibus nervos replent , & quoniam alias prorsus naturæ sunt , quam Spiritus nervorum ipsi , motum prorsus alium in subtilissimis Nervorum tubulis inchoando , priorem motum naturalium Spirituum impediunt & sufflaminant , quò cessante multum imminuit totius sanguinis circulatio , cuius particulæ quo magis in quietiorem statum deveniunt , eo majorem Refrigerationem experiri necessarium est , quod sudores frigidi , post narcoticorum usus , quandoque tristi argumento probant .

Datur denique alias Refrigerantium operandi modus, quæ prorsus aliter motum humorum faciunt quietorem, dum eundem turbatum reddunt magis æqualem. Quando nimis subtilissimi quidam tubuli vel sunt obstructi, à materiâ quadam crassa, transitumque subsequentis humoris impediunt, exinde necessario sequitur, quod, continuatâ Principii Mōventis, Cordis scilicet, propulsione, cum eâdem violentiâ, humores in tubulis adhuc aperitis, adeoque in minori spatio, eandem violentam pressionem patientes, magis omnino, quam ordinariè moveantur in viis iisdem adhuc patentibus, quæ motus auctio insignem calorem efficit, qui non imminui potest, nisi quies restituatur, quod commodius fieri nequit, quam si exhibantur ea, quæ obstructiones hasce tollunt, motumque æquiorem faciendo, & calorem imminuendo, refrigerant, quod præstant subtiliora, quæ alias exhibita, motum rediderent majorem.

Ut vero & in specie videatur singulorum Refrigerantium præstantiorum agendi modus, placet potiora è Regno Animali, Vegetabili & Minerali, ac post eadem Res Non-Naturales dictas proponere, quæ vel interne vel externe operationes suas exercent, ut plurimum tamen eodem modo, nisi quod interna potentius operentur, quoniam penetrant intimius per eos quoque Tubulos, quos externa ne quidem attingere possunt.

Refrigerantia è Regno Animali desumpta, sunt velaquea & viscosa, ut sunt Lac, ejusque serum, Albumen ovi, Sperma Ranarum, gelatinæ varia, &c. quorum operandi modus vid §. 5. vel terrea, ossa scilicet varia, Lapidescorum,

erorum, C.C. ustum vel philosophicè calcinatum, Cornu Alcis &c. De quibus §. 3. c̄git, quamvis eadem quoque ob admixtum Sal volatile quandoque operentur in viis remotoribus juxta §. 7. quibus & addi merentur Lumbrici, quorum graves pariter terreæ particulæ ac acidæ operantur.

TH. X.

Maximam variorum Refrigerantium copiam suppedat Regnum Vegetable, in quo occurunt pariter vel aquæ, succi, scilicet varij qui ob admixtum acidum vel mucilaginosum eō potentissimi refrigerant, quales sunt succi citri, limon. passular. pomor. cydon. berber. acetosæ, vitis, ipsumque vinum acidius vel acetum; vel viscosa, ut sunt semina quatuor frigida majora & minora, flores rosarum, borraginis, nymphæ &c, Gummata varia ob viscositatem operantia, tragacantha, gummi arabicum & alia, de quorum operandi modo §. 5. videatur; vel salina, præparatis acida, quæ sunt Tartarus, indeq; varia præparata, & salia essentialia quædam; vel denique sulphurea, quæ ob Narcoticam vim subtilissimi in corpore nostro humoris, spirituum nempe, motum, admixta propria substantiâ vaporosâ, impediendo, totius massæ sanguineæ crassioris, motum pariter multum imminuunt, sensuque refrigerationis producunt, quod ex omnibus potentissime præstat opium, quod seqvuntur Crocus, flores seminaque Papaveris, quibus merito quoque Camphora subjungitur, cuius vaporosissimum & subtile sulphur Nervorum tubulos sufficienter ingredi vel aliter quoque juxta §. 7. operari testatur experientia.

TH. XI.

Licet è Regno Minerali petita Refrigerantia numero

Sunt pauciora, omnium tamen potentissimè operantur in minori quoque dosi, quod terrea quidem non præstant, qvorum maxima portio in intestinis remanens, particulas biliosas aliasque mobiles, in proprios poros recipiendo, absorbet, cumque excernendis evehit, caloremque, causa sic ablatâ, cum particulis istis mobilissimis effervescentibus, imminuit, sive refrigerat, minima vero portio ad sanguinem delata motum ipsius minorem reddit propriâ gravitate, quod & de lapidibus vulgaribus & preciosis, crystallis, coralliis, bolo armena, terra lemnia, sigillata aliisque asseritur. Idem de antimonio, cinnabari & mercurio sentiendum, licet gravissimis hisce materiis spiritus quidam subtilis mineralis denegari non possit, cuius ope interdum remotissimæ à primis viis obstructiones solvuntur, motuque sanguinis æquali restituto, inflammationes cessant, calorque præternaturalis mitigatur.

TH. XII.

Metallorum vires refrigerantes vix deprædicari possunt, cum vulgares ipsorum calces vel pulveres instar terrarum operentur, tinturæ vero communes ineptæ, potius ratione menstruorum, acidorum ut plurimum, quam ratione ipsorum metallorum, motum sanguinis alterent; maxime sensibilem Refrigerationem præ reliquis fere omnibus efficiunt salia mineralia, scilicet sal commune, gemmæ, vitriolum, & alumen, quorum crystallisationes ostendunt, particulas eorundem ad motum esse minus aptas ob figuram angulosam variam, cùm præterea hæc salia multum terræ gravis simul possideant, quam quædam, ubi destillantur, relinquent. Saccharum saturni sal mixtum ex acido vegetabili, terraque minerali est, & tantum non omnium refrigerantium potentissimum, particulæ aceti

acri enim gravissima co-
stiffit, que nihilominus
in tunc liquore aqaeo
præ digestionis admittit
lites delata, resistendo
motum earum impedit
contratum vehementer
ores motumque humores
modo potenter refrigerantur

Restant sulphur
medicamentis annu-
dæ reliquorum salium
maino differt; sulphur
operationem suam e-
stissima & inflammabile
liquor vaporosa faciunt
oculum acidum scilicet
pumiliosas, easque
urique ratione mo-
nstrum pariter dupli-
cum portio ipsius æthereum
bon animalibus, qui
motum de æthere pa-
ctorum, ab obstrucci-
onem inæqualem reddi
quis tubulis apertis m-
ficando, sensum tur-
bula ipsius portio te-
nacis sanguineæ globi
non impedit, sed tame-

aceti enim gravissimæ concentratae sunt in terrâ gravi metallicâ, quæ nihilominus acetô adeo est discontinuata, ut in omni liquore aqueo solvatur, & propterea menstruis primæ digestionis admixta adque reliquos humores circulantes delata, resistendo mobilioribus sanguinis particulis, motum earum impedit, dum acidum in hoc sale concentratum vehementer adstringendo vias reddit angustiores motumque humorum difficiliorum; & sic utroque modo potenter refrigerat.

TH. XIII.

Restant sulphur commune & Nitrum Refrigerantibus medicamentis annumeranda, quorum operandi modus à reliqvorum salium mineralium operatione multum omnino differt; sulphur quidem dupli ratione videtur operationem suam exercere, dum scilicet pars ipsius subtilissima & inflammabilis in ipsis agit spiritus, prout reliqua vaporosa faciunt, alterum vero ipsius principium, occultum acidum scilicet vitriolicum, recipit partes sanguinis biliosas, easque; se intermiscendo, figit, adeoque utrâque ratione motum humorum reddit tardiorem. Nitrum pariter duplicitate refrigerare videtur, dum nimirum portio ipsius ætherea, quam ab aëre possidet, spiritibus animalibus, qui, secundum plurimorum sententiam multum de æthere participant, sese associando, motum ipsorum, ab obstructione quorundam tubulorum nervorum inæqualem redditum, [unde motus spirituum in reliquis tubulis apertis major fuit productus] denuo æqualem faciendo, sensum turbulentis Caloris imminuit; dumque altera ipsius portio terrea magis, & figuræ pyramidalis, massæ sanguineæ globulorum motum equidem aliquatenus impedit, sed tamen moderate satis, acidumque nitri particulis

particulis biliosis se immiscendo , eorum motum inhibet ; cumque non observetur , nitrum sangvini injectum , eundem coagulare , præ reliquis Refrigerantibus , a celeberrimis Præticis commendatur.

TH. XIV.

Sequuntur, postquam Refrigerantia Medicamenta proposui , Res Non-Naturales dictæ , quarum operandi modus nunc quoque explicandus venit. Occurrit ex ijsdem primo Aér , qui refrigerantibus tunc saltem annumerari potest , si heterogeneæ , graves , humidæ particulæ copiæ superent subtilissimas æthereas , quod accidit , quando venti boreales , frigidi , aliquæ è mari flantes , humidi , particulis multis heterogeneis minusque mobilibus aërem imprægnant: Cum vero Aëris modus refrigerandi jam in præcedentibus pasim fuerit traditus , dicta repetere supercedeo.

TH. XV.

Cibum & Potum refrigerare , facile patet exinde , quod , quale nutrimentum ingeritur , talis quoque materia sanguinis , succique Nervorum præparetur , à quibus dependet motus acceleratio pariter ac quies ; Si igitur cibi ingerantur crassioris substantiaz , potusque sit vel copiosior aquosus , mucilaginosus , quales sunt Lac , Emulsiones , Ptafana avenacea & hordeacea &c. vel acidus , Vinum nempe acidius , Cerevisia crassa & acescens , ipsum acetum , naturælesque aquæ acidæ , vel artificiales , aut Vinum succis acidis limonum , citri &c. mixtum , quæ non modo sensibilem refrigerationem , sed quandoque , si sumantur ab incautis quibusdam , quorum humores post exercitia varia corporis in motu vehementissimo sunt , lethale frigus exhibent , dum vias humorum corporis nostri subtiliores angustas-

quietem partium
er cum experientia , q
præ Humores moti m
tunt , quæ succendent
gunt enim omnia Re
tem. Idem de Somni
tum musculosarum
ritus in sensorijs ex
periuntur.

Excretionem Sa
quantitate premendo
genoque motum soli
gentium , dum intra
corporis juvare , prob
menstrua , varia que S
practis & Calor ante
pate intra corpus no

Ipsius quoque
coron humorum in co
rr , qui fit , dum ob
deteretur ad sensoria
genit , nobilissima
nervorum , revocat , q
peripheria ad centrum
succedit extremonrum

gustasque , motu præcedente ampliores redditas , multo-
que humore repletas , subito adstringendo præcludunt ,
ipsamque lympham coagulando ineptam reddunt , ut po-
ros adstrictos liberè permeare nequeat.

TH. XVI.

Quietem partium corporis solidarum refrigerare, do-
cet cum experientia , quando , motu ipsarum præcedente ,
ipsi Humores moti magnam Caloris sensationem excita-
runt , quæ succedente Quietem mox cessat ; tum Ratio , a-
gunt enim omnia Refrigerantia , motum faciendo quietio-
rem . Idem de Somno existimandum , quod præsente par-
tium musculosarum variarum motus cessat , ipsique Spir-
ritus in sensorijs externis motus ab objectis externis non
experiuntur .

TH. XVII.

Excretionem Sangvinis aliorumque humorum , vel
quantitate premendo , vel qualitate acri stimulando pun-
gendoque motum solidarum partium , propriumque au-
gentium , dum intra Corpus detinentur , remissionem
caloris juvare , probant venæ sectiones , hæmorrhoides ,
menstrua , variaeque Sangvinis & seri excretiones , quibus
peractis & Calor antecedens cessat , & sensus quasi Auræ fri-
gidæ intra corpus nonnunquam sentitur .

TH. XIX.

Ipsius quoque Animi pathemata motum interno-
rum humorum in corpore imminuere posse , testatur Ter-
ror , qui fit , dum objectum quoddam Corpori nocivum
desertur ad sensoria externa , quod cum ipsa Anima co-
gnoscit , nobilissimam Corporis partem , fluidum scilicet
nervorum , revocat , quantum potest , ab exteriori Corporis
peripheria ad centrum , quasi in locum tutiorem , unde
succedit extremorum frigus , & pallor consequens , cessan-

tibus quandoque motu lensuque externo, tremulo saltem
cordis & interiorum motu residuo, ne omnis vitalitas
pereat, licet & eundem quandoque prorsus cessare, mors
eveniens sufficienter testatum faciat. Finem huic Capi-
ti impono, quem & additis sequenti Capite nonnullis de
Refrigerantium usu in genere paragraphis, ipsi Dissertatio-
ni faciam.

CAPUT III.

DE

REFRIGERANTII USU.

TH. I.

Amplam Refrigerantium copiam sequitur ipso-
rum Usus describendus, qui cum diversissimus
sit, diversas quoque & cautas meretur An-
notationes, quas ut brevibus includerem pa-
ragraphis, proponere constitui Eorum usum variantem,
ratione ipsorum Medicamentorum & rerum non-natura-
lium refrigerantium, variumque ratione Morborum, &
Subjectorum.

TH. II.

Usum igitur refrigerantium medicamentorum dif-
ferre, probat diversus eorundem operandi modus, qua-
dam enim agunt in partes solidas, quædam in fluidas, San-
gvinem & Lympham, quædam in ipsos Spiritus, unde De-
lectus eorum utique instituendus est, ut finis exoptatus
obtineatur; quamvis clarum sit, Consensum partium so-
lidarum fluidarumque maximum esse, unaque affecta
alteram etiam affici, quod tamen non impedit, quo mi-
nus existimemus, has praे illis alterationem majorem re-
quirere & pati, juxta Medicintentionem, qui nunc Spir-
tibus

magis, nunc magis
variantem in
Different eadem
in irritatis, operando,
inter refrigerant, qua-
dita leviora terrea mo-
gravisima mineralia
quam vegetabilia, inq
agendi, ut vitriolum
tum moventem in
qua crassiores hu-
biliosas & volatiles.
quam quæ diluendo
differentia à prude-
& proportio inter a-
& agant sapienti
quam activitatis.

Usum quoque
Rerum non-
existente subtiliori
copiosiores elasticæ
dunt motum, unde
tiora & copiosiora
quis rebus nonnatu-
lio, sicut Locis in
refrigerantia, quar-
res sunt, quorum
corum, qui in calic
sunt Sangvinem

Ratione Mor-

tibus magis, nunc magis crassioribus fluidis motum vel qualitatem variantem inducere studet.

TH. III.

Differunt eadem quoque ratione majoris vel minoris virtutis, operando, sic enim aqua & viscosa minus potenter refrigerant, quam terrea simul vi adstringente praedita, leviora terrea motum humorum minus retardant, quam gravissima mineralia, salia mineralia potentius operantur, quam vegetabilia, inque eodem genere hoc superat illud vi agendi, ut vitriolum superat Sal gemmæ; sic ea, quæ Spiritum moventem impediunt, magis refrigerant, quam ea quæ crassiores humores motos impediunt; ea, quæ biliosas & volatiles Sangvinis partes ligant, refrigerant magis, quam quæ diluendo saltem & successive agunt. Quæ Energiae differentiae à prudente Medico optime ponderandæ sunt, & proportio inter agens & patiens consideranda, quamvis & agant saepius medicamenta magis ratione receptivitatis quam activitatis.

TH. IV.

Usus quoque eorundem varias postulat Cautelas, ratione Rerum non-naturalium, temporis & Loci; sic Aëre existente subtiliori magisque mobili, particulae ejusdem copiosiores elasticæ intra Corpus assumtae majorem redundunt motum, unde tempore æstatis conceduntur & potentiora & copiosiora refrigerantia, quam hyemis, de reliquis rebus nonnaturalibus prolixitatis evitandæ gratia si leo, sicut Locis meridionalibus melius ferunt homines refrigerantia, quam, qui Septentrionali polo propinquiores sunt, quorumque humores minus moventur, quam eorum, qui in calidiori regione degentes subtiliorem possident Sangvinem & mobilissimum.

TH. V.

Ratione Morborum, differt quoque usus Refrigeran-

tium, in quibus eadem adhibere concessum est, si nimirum impetuosus & ultra modum auctus sit Motus Spirituum, vel æqualiter per omnes nervorum canales, vel saltem per quosdam, aut si prædominentur in reliquis humoribus abundantes particulae mobiles, volatiles, sulphureæ; subactis inque Motum raptis simul particulis gravioribus, aut si vinculum fixarum & magis volatilium Sangvinis partium sit solutum, mixturaque illarum blanda & cohæsio dissoluta, quod in morbis acutis & malignis fieri videtur, vel ubi effervescens sangvis insignes producit hæmorrhagias. Verum licet omnibus in hisce Casibus uti liceat ijs, quæ motum humorum reddendo quietiorem, refrigerant, maxima tamen quoque Cautela requiritur, ne ab uno Caloris extremo progrediendo ad alterum extremum Refrigerationis, subitæ Mutatione, quæ semper est periculosa, vim Naturæ inferamus subitam, cuius tamen procedendi modus & hic in modo applicandi Refrigerantia imitandus est, prout nimirum Natura ab uno extremo ad alterum, semper lentis gressibus procedit, sic pariter Medicum oportet, in hoc Casu eandem imitando, Calorem successivis vicibus mitigare, refrigerationem producendo, ne una vice violenter refrigerans idem efficiat, quod experiuntur īj damnum subitæ mutationis, qui maxime calefacti frigjam hauriunt.

TH. VI.

Nec minorem notam meretur Doctrina de Inflammationibus, quæ plurimæ oriuntur equidem ab obstrueto Sangvinis motu in hac vel illa parte, & sunt dolorificæ Sensationes cum subsequentे Calore, rubore ac pulsatione, magis tamen dependent ab æquilibrio motus in humoribus sublato, de quo Cap. 2. §. 7. egit, quam ab universalis

rendimeta atq[ue] omni
ne carendum est ab ijs,
flavide, & potius vol
erollendo reddunt m
diunt, exhibitis enim
gineque crassiore
dones in extremitatib
que sangvinis in min
Cordis èdem contin
gvis per ampliores &
geret quoque ipsam
gvini quantitate n
producta,

Ratione tandem

Refrigerantibus. J
Corporis saccis gaude
rem possidens, mai
stumque ferre potest
gen gravibus viscidis
hævina ratio alijs m
minus ad motum a
Temperamentorum
Sanguineum & Cho
quibus, si opus fueri
cupiosa refrigerantia
rest, ne nimia Alter
Sudoribus, agere non
debet, pinta oppositor
duci. Esto igitur
laboris hujus.

versali motu aucto omnium fluidorum, quo in Casu maxime cavendum est ab ijs, quæ multum refrigerant, e.g. in Pleuritide, & potius volatilia temperata, quæ obstrunctiones tollendo reddunt motus æquilibrium, in usum trahendas sunt, exhibitis enim ijs, quæ motum quietiorem, sanguinemque crassiores redderent, refrigerantibus, obstructions in extremitatibus minimis fierent majores, motusque sanguinis in minori spatio constituti, simpetu pressivo Cordis eodem continuante, qui premebat anteà, dum sanguis per ampliores & liberas vias vagabatur] auctus augeret quoque ipsam Inflammationem, licet eadem à Sanguinis quantitate nimia, vel qualitate viscosa aliave fuerit producta.

TH. VII.

Ratione tandem Subjectorum cavendum est utendo Refrigerantibus. Juvenilis enim ætas magis mobilibus Corporis succis gaudens hincque calorem naturalem maiorem possidens, majorem etiam refrigerantium dosin usumque ferre potest, quam Senium, ubi membra frigent gravibus viscidisque humoribus utplurimum onusta. Ipsa vitæ ratio alijs mobiles magis conciliat succos, alijs minus ad motum aptos, hincque dependent plurimæ Temperamentorum Alterationes & Varietates, è quibus Sangvineum & Cholericum ab effectu calida dicuntur, in quibus, si opus fuerit, optimè convenienter potentiora & copiosa refrigerantia; ne quid nimis tamen ubique observetur, ne nimia Alteratio noxam adferat, de qua brevitatis Studiosus agere non constitui, cum præterea ex dictis eadem juxta oppositorum eandem rationem facile possit deduci.

Esto igitur Lectoris benevoli mite judicium

Laboris hujus extemporanei optatus Finis.

S. J. O.

CO.

COROLLARIA.

I.

Maxima controvèrsia Medicorum est, quænam sit veritas medica.

II. Unicus est Sensus exterius nimirum Tactus.

III. Mathematici demonstrant, mulierem una nocte posse concipere, & sub sequente die parere, scilicet sub polo.

IV. Hypothesin de configuratione pororum parum conferre ad faciliorem conceptum formandum, de humoris in corpore animali specialis secrezione, quæ dependet potius à mechanica ipsorum vasorum Constructione, demonstrare conantur Recentiores.

V. Affirmant constanter nautæ Hollandi, sub linea æquinoctiali aquam reddi inflammabilem instar spiritus vini.

VI. Aqua est simplicissima Panacea, diluit enim salia & viscidum.

VII. Dolor sympatheticus, quem abscisis membris patiuntur quidam, impediri potest Encheirisi chirurgicâ.

IX. Passio Iliaca alias desperata quandoque curari potest operatione chirurgicâ.

X. Sine Mathesi, in vitijs corporis è Mathesi deducendis, Medicus non semper obtinere potest Finem.

X. Etiam è sale in aqua dissolubili vitrum perfectum igne fieri potest.

XI. Qui Boracis Confectionem docuerunt, tantum non omnes sunt mendaces.

XII. Adamantes sine acuto iustrumento optimè discedi possunt.

Dum

MATTHIAS

शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध
शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध^{१२४}
शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध

Dum calor & frigus de bruma tempore certant,
En Tibi de Physico frigore pugna manet:
Ex pugna Medica de frigore victor abibis,
Et dabitur calida laudis amandus honor.

Ita

Nobilissimo & Clarissimo DN DOCTORANDO
de egregio Specimine gratulatur

JUSTUS VESTI , MED. D.P.P.
suæque Facultatis p. t. DECANUS.

शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध शुद्ध

Conatum KERGERE, tuum, qui culmina Pindi
Aërei, gressu non remorante, petis,
Approbo, detque DEUS, qui lucida syderatorquet,
Ut tibi succedant omnia fausta, precor.

Pauca hæc Nobili simo arque Clarissimo
DN. DOCTORANDO, Amico suo
singulari ac in perpetuum deveneran-
do gratulans scrib.

MATTHIAS FRIEDERICUS Eneider/
MED. D.

IN Lipara ferrum majorem concipit æstum;
Dum calidum ferrum frigida lambit aqua.
Sic KERGERE tuum nova fama refrigerat æ-
stum,
Ult magis accendat majus ad artis opus.

Ita gratulatur
Nobilissimo & Doctissimo DN. DOCTORANDO
Amico & Fautori suo singulari

JOANNES FRIDERICUS de PRE,
Phil. & Med. Doctor.

KERGERUS nomen renuit sibi sumere ma-
gnum;
Aest, ut mactetur, dignus, honore, labor,
Ornabant summo fugientem præmiajure,
Agnatisque suis suavius edet opus.

His Nobiliss. & Clariss. DN. CANDIDATO
affectionatum suum testari voluit, debuitque

TOBIAS Betiken / Med. Baccal.



Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

8

Centimetres

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

